

AD
RECENSIONEM
BULLARII ROMANO-SVEOGOTHICI,
A NOBIL. A. CELSE EDITAM,
ACCESSIO.
CUJUS PARTEM IV.

Venia Fac. Philos. R. Acad. Aboënsis,

PRÆSIDE

*Mag. HENRICO GABRIELE
PORTHAN,*

*Eloqu. Professore Reg. & Ord. Reg. Acad. Litt. Human. & Antiquit.
nec non R. Soc. Scient. Upsal. Membro,*

Publicæ bonorum censuræ submittit

HENR. GABR. ALCENIUS,

Ostrobotniensis.

In Auditorio Majori die XXI Decemb. MDCCXCVII,
H. A. M. S.

THESES RESPONDENTIS,

THESIS I.

Ut lectione bonorum Auctorum in universum alitur ingenium, ita dubitari non potest, quin Ephemerides literariæ, diligenter confectæ, non solum ad bonos libros eligendos, verum etiam ad iudicium de scriptis subinde prodeuntibus acuendum, multum profint.

Thes. II.

Nec parvum ex debita itinerariorum lectione usum haurire licet; quoniam illorum scriptores, si recte impleverunt suscepti muneris partes, multorum hominum vitæ, morum, institutorum &c, expressas nobis imagines tradunt.

Thes. III.

Experientiam prudentiæ magistram esse, ab eaque hanc virtutem maxime petendam, quisque facile intelligit. Experientiæ autem locum quodammodo implere historiarum lectionem recte institutam, simul patet.

Thes. IV.

Ex omnibus de commercio animi & corporis systematibus, hucusque propositis, Systema quod vocant Influxus Physici, licet difficultatibus minime carens, ad veritatem proxime accedere, autumamus.

Thes. V.

Egregie Cicero de Pronunciatione dicit: *bona est pronuntiatio, que facit ut Orator ex animo dicere videatur.*

Thes. VI.

Ut puerilis ætas mature advesiat labori, pro modo ætatis tolerando; ut discat parco vidu contenta esse, & difficultates obvias vel animose superare vel patienter ferre: adeo Reipublicæ interest, ut non videatur arbitrio hominum relinquendum, utrum has res vel observare veleas negligere, in educanda juventute velint, sed legibus institutisque illud est iis commendandum ac injungendum.

Thes. VII.

Quo ingenium populi sensum elegantie adsciscat, atque consuetudine & exemplis ad humanitatem perducatur, necesse est, ut Civitas affluat literarum disciplinis & eruditis hominibus; quod vel Atheniensis & Romanæ Civitatis exempla, satis superque docent.

ris neophytorum provinciis & insulis circumpositis, utpote adhuc parvulas & infirmas, Pontifex ei personaliter quoad victurus esset fiducialiter committit, ut eo teneriori foveantur cura; quam ut iis impendat, simul monet. — Indid Ep. 181.

10. *Eidem L. a. & d. iisdem.* Cura Episcopatum *Revaliæ, Wironiæ* ac aliorum de *Livonia, Winlandia & Hestonia*, dum vacant vel eorum Episcopi sunt absentes, eidem demandatur — Indid. Ep. 182.

11. *Eidem. L. a. & d. iisdem.* Mandat ei Pontifex, ut universis fidelibus intra suæ Legationis terminos constitutis severe prohibeat, ne cum *paganis* terrarum illarum, aut *Rutenis*, five super pace vel treuga tenenda, seu aliquo censu taxando, sine Legati assensu inire præsumant; contradictores autem & ecclesiastica & civili, si opus fuerit, potestate adhibita, compescat. — Indid. Ep. 174.

12. *Episcopo & Capitulo, Militibus Christi & Civibus Rigensibus. L. a. & d. iisd.* Jubentur obsides de *Curlandia, Semigallia, Oflia &c.* quos tenerent resignare, Ecclesiæ Romanæ nomine, cum iisdem provinciis, Episcopo Semigallienti, Apostolicæ Sedis Legato regendas, non obstante arbitrio ab eodem iis extorto, vel literis quibuscunque super divisione terrarum, auctoritate Apostolica iis concessis. (k) — Indid. Ep. 176.

13. *Episcopo & Capitulo majoris ecclesie & Civibus Rigensibus ac Militibus Christi de Livonia. Reate II nonis Febr. a. V* (d. 4 Febr. 1232). Cum Papa *Balduinum* in Episcopum Semigallientis ecclesiæ promovisset, munus consecrationis propriis manibus eidem impendens, simulque officium Legationis in illis parti ei commisisset; severe jubentur Semigalliam cum pertinentiis & obsidibus ei tradere (k) non obstantibus literis quibuscunque antea a quocumque concessis, aut alio quocumque acquisitionis titulo, ut donatione, venditione vel alienatione, facta ab *L. (Lamberto?)*, qui se quondam pro Episcopo Semigallien-

lienſi gerebat, ſed canonicum non habuerat ingreſſum ibidem, quod eſſet inſtitutus ab Epifcopo Rigenſi, qui inſtituendi ſolummodo Epifcopos auctoritatem, non ſubſtituendi in terris de novo converſis, eccleſiis cathedralibus jam ædificatis, habebat. — Indid. Ep. 175.

14. *Eidem. Reate non. Febr. a. V* (d. 5 Febr. 1232). Mandatur ei, ut coërceat ambitionem & pervicaciam Epifcopi Rigenſis (*Nicolai*), qui inſtigante humani generis inimico, ſpreta prohibitione Sedis Apoſtolicæ & *Ottonis* (de quo ſupra), Legati Apoſtolicæ, inter alios auſus nefarios, "plantationem novellam ad catholicam fidem converſam, a ſervitute diaboli liberatam ſuæ ſubjicit ſervituti, cui (plantationi novellæ) Epifcopus Semigallienſis, in favorem fidei, de aſenſu Rigenſis Capituli & Militum Chriſti de Livonia, Eccleſia Rigenſi vacante, ſtatum indulſeræt libertatis; propter quod timor incutitur convertendis, & ad apoſtaſiam converſi etiam provocantur (1). Quare monetur, ut, advocato etiam ſi neceſſe fuerit, brachio ſecudari, eum per cenſuram eccleſiaſticam, appellatione remota, compeſcat, — Indid. Ep. 173.

15. *Decano & Canonicis Roſcildenſibus, tam preſentibus, quam futuris canonicè ſubſtituendis, imperpetuum. Spoleti per manum Magiſtri Barth. Sancte Romane Eccleſie vicecancellarii, V Kal. Junii, Indiſt. V, Incarnationis Dominice a:o MCCXXXII, Pon-*

(1) Ut ſtudio Pontificis, fortem mitigandi infelicium horum hominum, (qui ſub prætextu religionis propagandæ, non ſolum injuſte bello erant invaſi, trucidati, ſpoliati, ſed etiam per ſummam injuriam in ſtatum ſervitutis redacti) laude eſt (ſive illud Theologicè, ſive Philoſophicè, ſive Politicè ſpectes) digniſſimum; ita nomini Epifcopi perpetuam inurit infamix maculam, quod patronus nefarii fuerit conſilii, quo non tantum illis miſeris, ſed ſeræ etiam eorum poſteritati, jugum crudelis ſervitutis fuit impoſitum! — *Militibus* autem (qui ſe dicebant) *Chriſti* non admodum honorificum, ex *Alberto* (ad a. 1232 p. 542) exhibet teſtimonium GRUBER I. c. p. 183 not. g).

Pontificatus vero *D:ni Gregorii P. P. IX* a:o VI. (d. 28 Maji a. 1232) Annuens precibus illorum Pontifex, exemplo prædecessoris sui *Alexandri (m)* recipit Roschildensem ecclesiam sub sua & b. Petri protectione, jura & privilegia ejus confirmat, & constituit ut insula *Rojanensis (n)*, de manibus paganorum adempta, eidem ecclesiæ & Episcopo sit subjecta. — Indid. a. VI Ep. 13.

16. *Archiepiscopo Lundensi (Uffoni vel Offoni). Anagnie III non. Decemb.* a. VI (d. 3. Dec. 1232). Questus fuerat Archiepiscopus, quod cum super incontinentia Clericorum (o) suæ Diœcesis canonicam exerceret disciplinam, nonnulli eorum conspiraverint, & tam juramenti quam pœnis pecuniariis sese invicem adstrinxerint, ut sibi mutuo adessent & impedirent, ne Archiepiscopus eos posset punire. Quare annuit petitioni ejus Papa, ut conspiratores hujusmodi, adscito auxilio brachii secularis, ubi censuram ecclesiasticam vilipenderent, ei liceret coërcere. — Indid. Ep. 176.

17. *Eidem. L. a. & d. iisdem.* Permittitur ei quam petierat Potestas, absolvendi religiosos & clericos seculares suæ provinciæ, excommunicatos pro violenta injectione manuum in personas religiosas & clericos seculares, clericos seculares pro detentione concubinarum, clericos & laicos propter incendia, rapinas & sacrilegia, nec non religiosos qui symoniace in suis Monasteriis essent recepti: ita tamen, ut damna læsis/resarcirent, & concubiniis a se abjectis, sufficientem exhiberent cautionem de illis vel aliis minime resumendis; ac ut vel pœnitentia vel pœna conveniens iis injungeretur, atque qui enormiter peccaverant, ad Sedem Apostolicam mitterentur. — Indid. Ep. 177.

D 2

18. *Ei-*

(m) Cujus Bullam exhibet PONTOPPIDAN l. c. p. 407 fqq.

(n) Hoc est, *Rugiensis*, quæ in Bulla *Alexandri* apud PONTOPPIDANUM l. c. vocatur *Ryo*.

(o) Noluisse videntur statutis Papalibus de cælibatu observando, uxorisque suis dimitterdis, obtemperare?

18. *Eidem. Anagn. V Idus Decemb. a. VI* (d. 9 Dec. 1232). E-docetur, quomodo manuum impositio in ordinandis Presbyteris & Diaconis fieri debeat, &c. — Indid. Ep. 193.

19. *Eidem. Laterani IV Non. Julii, a. VII.* (d. 4 Jul. 1233). Injungitur ei, ut provideat *Magno* Presbytero suæ Diœcesis, qui latronem sibi mortem intentantem, sui defendendi causa occiderat, adeoque fungi munere non amplius posset, in aliquo stipendio, unde sustentari valeat, ne in opprobrium ordinis clericalis mendicare cogatur. — Indid. a. VII. Ep. 234.

20. *Universis Prelatis per Scarensem Diœcesin constitutis. Laterani VIII Id. Febr. a. VII* (d. 6 Febr. 1234). Quod prædecessor suus *Honorius*, iis inculcaverat de *Procuracionibus* (p) Episcopo suo sine tergiversatione exhibendis (q), gravi adjecta comminatione repetit. — Indid. Ep. 530.

21. *Episcopo Scarenfi* (Stenaro). *L. a. & d. iisdem.* Pontifex graviter ferens, quod audivisset nonnullos Sacerdotes, & Clericos illius Diœceseos, relictis his quæ ad Deum pertinent, se negotiis secularibus immiscentes, in foro seculari laicis ut advocatos patrocinium in causis tam criminalibus quam civilibus præstare; mandat Episcopo, ut ipsos, nisi propriam vel ecclesiæ causam aut miserabilium personarum fuerint profecti, monitione præmissa per censuram ecclesiasticam, appellatione remota, inde cohibeat. — Indid. Ep. 533.

22. *Eidem. L. a. & d. iisdem.* Mandatur Episcopo, ut laicos (quibus quamvis religiosi, disponendi de personis & rebus ecclesiasticis nulla est attributa potestas, quosque obsequendi manet necessitas, non auctoritas imperandi), qui cum prælati

(p) "*Procuraciones* Episcoporum, quæ debentur a Sacerdotibus, cum Ecclesias sibi subditas visitant. --- Quæ — interdum" (per abusum) "in summam pecuniarum conversæ sunt, quæ ipsis etiam non visitantibus erat persolvenda". *Glosar. Cangianum* in hac voce.

(q) Vid. supra p, 12, N.º 18.

lati ecclesiarum non obtemperant beneplacitis eorundem, protinus illos spoliatos bonis omnibus ab ecclesiis ipsis ejiciunt, & intrudunt alios, primum moneat, ut ab hujusmodi præsumptione desistant, & deinde refractarios per censuram ecclesiasticam, appellatione remota, coërceat: cum Papa nolit, tam abusivas enormitates sub dissimulatione transire, ne per impunitæ transgressionis exemplar blandiatur aliis ad offensam. — Indid. Ep. 531.

23. *Eidem. Laterani VII Id. Febr. a. VII* (d. 7 Febr. a. 1234). Confirmatur Episcopo petenti potestas, quum in Dicecesi sua tot Capellæ consistant, ut propter tenuitatem reddituum sacerdotes in iis nequeant inde sustentari, adeoque pauci aut nulli reperiantur qui velint earum obsequiis applicari, eas uniendi, prout expedire secundum Deum videret. — Indid. Ep. 526.

24. *Eidem & Abbati de Warnem, Scarenfis Dioecesis. Laterani VI Idus Febr. a. VII* (d. 8 Febr. a. 1234). Questi erant Prælati & Clerici Scarenfis Dioecesis, quod Parrochiani eorum oblationes, quæ in Sanctorum festivitibus Ecclesiis obveniunt eorundem, quandoque, suis usibus applicant, interdum vero Ecclesiarum fabricæ deputant, ipsis oblationibus penitus destitutis. Quare mandat Papa, ut dictos parrochianos, (monitione præmissa, ut ab hujusmodi præsumptione conquiescant) Episcopus & Abbas per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compellant. — Indid. Ep. 532.

25. *Episcopo Scarenfi. Laterani Idibus Febr. a. VII* (d. 13. Febr. 1234). Conceditur ei potestas in omnes raptores & inuafores bonorum ecclesiasticorum suæ Dioecesis, competenti monitione præmissa, ecclesiasticam censuram, appellatione remota exercendi, eosdemque excommunicatos singulis diebus & festiuis, pulsatis campanis & candelis accensis, si expedire viderit, solenniter nuntiandi. — Indid Ep. 538.

26. *Episcopo Lealensi (Hermann) & Tarbatensi, --- Lealens. Dioc. & --- Rigens. Prepositis. Perusii XII Kal. Decemb. a. VIII* (d. 20 Nov. 1234). Quia Papæ innotuerat, quod N. (*Nicolaus*) Episcopus Rigensis, Magister (Folquinus) & Fratres Militiæ Christi in Livonia, & cives Rigenses, calcata reverentia Sedis Apostolicæ, B. (*Balduino*) Semigallensi Episcopo, dum in partibus illis Legationis officio fungeretur, in persona ejus & sociorum suorum, ac neophytis & aliis Ecclesiæ Romanæ fidelibus, damna gravia & injurias quam plurimas irrogaverant, terras, possessiones & alia bona quæ b. Petri juris existunt, per violentiam occupantes &c.: mandat Episcopo Lealensi &c, ut cogant eundem Rigensem Episcopum personaliter, Magistrum autem, Fratres & Cives prædictos per procuratores idoneos, appellatione sublata, ante festum Nativitatis b. Mariæ primo venturum, (d. 8 Sept. anni sequentis) coram Pontifice comparere, responsuros super iis quæ in cedula Bullæ inclusa continentur; simul ipsi etiam jubentur præsto esse, & illos quorum nomina in eadem cedula continentur, ut testes, per censuram ecclesiasticam compellere ut ad Sedem Apostolicam accedant (r). — Indid. Ep. 339 a. VIII.

27. *Archiepiscopo Lundensi (Uffoni). Viterbii XVI Kalend. Januar. a. IX* (d. 17 Dec. 1235). Ad instantiam ejus, per missos ad Papam nuntios (Th. & Andream Canonicos Lundenses) prolatam, transmittit ei per hos pallium, novo Archiepiscopo Ubsalensi (*Farlerio*), ut qui Lundensi jure primatis subsit, assignandum, sub forma quam sub bulla interclusam simul adjungit (s). — Indid. a. IX Ep. 321.

28. *W.*

(r) [Cfr. supra p. 24 sqq., N:o 7 — 14.

(s) Cf. supra p. 1, N:o 2. Hæc esse eadem videtur Epistola Papæ Gregorii IX, de qua commemoratur apud Nöbil. A CELSE l. c. p. 67 N:o 29, & BENZELIUM *Monum. vet. Ecclesiæ Sviogorb.* p. 197 sq: sed ex qua non multum lucis ad dirimendam controversiam ab hoc tæctam redundat: nisi quod de *Farlerii* tamen Archiepiscopi agi ad minus hoc suum aditu, satis patet.

28. *W.* (Wilhelmo) *Episcopo quondam Mutinensi, Penitentiaro nostro, Apostolicæ Sedis Legato (t).* *Viterbii nonis Febr. a. IX.* (d. 5 Febr. 1236). Cum in *Revela, Vironia* & quibusdam aliis terris Legationi suæ commissis, tanta esset temporalium rerum inopia, ut non solum unius uni, sed etiam vix duorum Episcopatum uni Episcopo sufficiant facultates; concedit ei Papa potestatem Episcopatus uniendi ac dividendi, transferendi de uno loco in alium, instituendi de novo Episcopos & consecrandi, & limitandi Episcopatus, in prædictis terris, cum utilitas & necessitas hoc exposcat: in *Revela* & *Wironia* *Lundensis ecclesiæ jure salvo.* (*u*). — *Indid. Ep. 369 a. IX.*

29 *Eidem* (G. h. e. *Guilielmo*). *Viterbii XI Kal. April. a. X.* (d. 22. Martii a. 1236). Cum terra *Estoniæ* de ritu paganorum per industriam (*Waldemari*) *Regis Danorum* & *Andree Lundensis Archiepiscopi* (hoc narrante, ad cultum devenisset Christianum, idem Archiepiscopus de licentia *Sedis Apostolicæ* tres Episcopatus, scil. *Lealensem, Vironensem* & *Revalensem* creavit ibidem, ipsas suffraganeos, *Ecclesiæ Lundensis* constituens, in singulis Episcopos ordinando; in quorum possessione pacifica cum eadem Ecclesia aliquandiu permanisset, tandem captivato Rege prædicto, Fratres *Militiæ Christi* in *Livonia*, & quidam alii ipsi terræ vicini, violenter occupantes eandem, eiectione inde Episcopis, non solum temporalia, sed spiritualia suis usibus applicarunt. Quare cum Archiepiscopus petat eorum restitutionem, mandat Legato *Papa*, ut ad manus suas spiritualia ipsa recipiens, vice Pontificis, ad ipsa in eisdem Episcopatibus restituat Archiepiscopum memoratum. Super Episcopatu vero *Lealensi* sic ipsi Ecclesiæ studeat providere, quod ejus justitia non lædatur. — *Indid. a. X, Ep. 19.*

30. *Ei-*

(t) Secundum jam, in *Livoniæ* Legato profecto; Cfr. supra p. 20 not. (ii), & Bullam Papalem apud GRUBERUM l. c. p. 270 N.º I. legendam.

(u) Cfr. supra p. 2, N.º 5.

30. *Eidem. Viterbii III Id. Aprilis, a. X* (d. XI Apr. 1236). Jubetur Castrum quod Revalia nominatur, ad manus suas, nomine Pontificis recipere, & deinde cum pertinentiis suis Regi Dacie restituere: qui, concedentibus *Innocentio & Honorio* Romanis Pontificibus, ut terram quam de manibus paganorum eriperet, regno suo & ejus ecclesiis applicaret, Estoniam occupaverat, & prædictum castrum ibi firmaverat. Rege autem postmodum captivato, Fratres Militiæ Christi in Livonia, mandante Magistro Johanne, Legati Capellano, castrum obsederant, & sic custodes a Rege inibi deputati illud Magistro & Fratribus dictæ Militiæ, illud Ecclesiæ Romane nomine recipientibus, reddiderant. Simul vero hanc Papa conditionem præscribit, ut inter Regem ex una parte & Fratres aliosque qui Castrum illud detinent, ex altera, firma pax & amicabile compositio intercedat, petitionibus, renuntiationibus & cautionibus idoneis interjectis, quod pro damnis & injuriis hinc inde illatis, nullatenus de cætero alter alterum molestat, & super his omnibus ad invicem se absolvant. — Indid.

31. *Archiepiscopo Lundensi (Uffoni). Viterbii 3 Idus Aug. a. XI* (d. II Aug. 1237). Significaverat Episcopus Roschildensis, executores testamenti *Exberni* quondam Militis, quod cum hic in extremis agens certas res de bonis suis certis personis conferri, & alia bona sua pauperibus & piis locis mandasset erogare (prout per litteras ipsas sigillo signatas & plurimum bonorum virorum testimonium potest probari); *Margaritha* mater & heres ipsius, juxta quandam pravam illius terræ consuetudinem, videlicet, quod si probatur per testes, qui nominati dicuntur (nānnū?), quod decedens aliquid in testamento alicui non dimisit, testamentum decedentis non valet, licet contrarium per authenticas literas & idoneos testes probetur, negativam hujusmodi se asserens probaturam, occasione talis abusus malitiose impedire præsumit, quo minus dictus Episcopus testamentum ipsum possit executioni mandare. Qua-